

que exercitu inspectante exprouocatione dimicauit interfectoque eo omnem allemanmannorum gentem perinde . ac ducis sui interitu debellatam tributi lege choer-

- 1^b. cuit. Puellam cuius pociente gracia confictum ediderat acerrimo nupciarum emulo liberatus inpugne premium recepit. Eamque sibi matrimonio copulauit. Ex qua paruo post tempore gram filiam sustulit. Cuius mirifica indoles ita paternas uirtutes redoluit ut prorsus per eorum uestigia decurrere putaretur. Corporis animique prestantissimis dotibus predictam adolescenciam adsumum glorie cumulum perduxit tantumque magnitudini eius a posteris tributum est ut in uetustissimis danorum carminibus ipsius uocabulo regia nobilitas censeatur. Quicquid ad firmandas acuendasque uires attinet acerrima ingenii exer-
- 2^a. citacione tractabat. A gladiatoribus uitandi inferendique ictus consuetudinem studioso exercii genere contrahebat. Educatoris sui roari filiam coeuam sibi collacteamque quo maiorem incunabulis suis gratiam referret uxorem adciuit quam postmodum besso cuidam quod eius strennua opera sepe numero usus fuerat mercedis loco coniugem donauit. Quem cum bellicorum operum socium haberet plus glorie sua an bessi uirtus contraxerit incertum reliquit. Hic cum forte suevnum regis sigtru gi filiam gro gigan tum cuidam desponsam cognosset tam in digne condicionis uinculum execratus bellum
- 2^b. suethicum auspicatur herculee uirtutis exemplo monstrorum nisibus obstaturus. Inita gothia cum deturbandorum obuiorum gracia caprinis tergoribus amictus incederet ac uariis ferarum pellibus cir coactus giganteas simularet exuuias. ipsam gro siluestres forte latices cum paucis ad modum pedisequis lauandi gracia petentem equo obuiam habuit. Que tam insoliti cultus horrore muliebriter mota succussis frenis patrio carmine sic cepit.
Conspicor inuisum regi uenisse gigantem.